ACADEMIA

DE CHRISTI DOMINI NATIVITATE

AUTHORE

HIERONYMO NIGRO

VENETO

SOCIETATIS JESU

nunc primum edita.

VENETIIS

APUD ANDREAM FILIUMQUE SANTINI.

1844.

196

IOANNI . BAPTISTAE

DOMENEGHINIO

SACERDOTI . VENETO

AD . D . ANTONINI . VICARIO . MVNERE

FVNCTO

MORIBVS . RELIGIOSIS

ANIMARVM . Q . ZELO

PROBATO

KLERVS . D . IOH . BAPTISTAE

IN . BRAGORA

CVRIONI . SVO

NOVVM . MVNVS . CAPESSENTI

OVANS . D . D . D .

Hieronymus Niger natus est Venetiis III Cal. Feb. an. MDCCX honesto quidem genere, sed quod suis ipse bonis artibus clarius effecit. Parentes, Franciscus et Francisca Zilottia, adolescentem Grammaticis Rhetoricisque præceptionibus Patavii instituendum curarunt. Duodeviginti natus annos in Societatem Jesu nomen dedit, Novellariæque posuit tyrocinium. Tum gravioribus eruditus est disciplinis in iis scholis, ex quibus tunc temporis, tamquam ex equo Trojano, ut ille ajebat, meri principes exibant. Bonus qui fuerat di-

scipulus, optimus prodiit magister. Veronæ primum Grammaticam, Humanitatem, Rhetoricam docuit; Bononiæ deinde, Parmæ et Brixiæ sublimioribus studiis imbuit juventutem. Et Brixiensi quidem in collegio Prorectoris munere fungebatur, quum r. s. an. MDCCLXXIII exiit edictum, quo Societas Jesu subversa est. Tali ex discrimine quum Venetias in suæ familiæ sinum sese recepisset, rursus animum appulit ad litterarum studia, a sex fortasse lustris intermissa. His enim parvulum nepotem, quem domi habebat, erudivit; quem etiam ope atque opera omni ad optima quæque incitavit. Quum vitæ annos quinque et octuaginta explevisset, menses quatuor, dies sex; postridie nonas Junii an. MDCCXCV paterna in domo fato functus est. Magna erat illius virtutis opinio præsertim in lingua Latina, cujus specimen toties dederat. In Theologicis etiam multum versatus est; magnaque sacræ profanæque Historiæ eruditione pollebat. Eloquentiæ quoque sacræ nonnihil temporis tribuit, licet raro admo-

dum concionatus sit. Multa soluta scripsit oratione, plura fortasse etiam numeris nexa; ad poesim videlicet natura ferebatur. Quæ tamen viri fuit modestia, præter aliquot de rebus scholasticis theses, nihil quidquam publici juris fecit; cujus exemplum utinam hoc tempore plus valeret. Ille Hieronymi nepos, de quo superius mentio facta, illustris fuit noster civis Franciscus Niger, qui idibus oct. an. MDCCCXXVII ad plures abiit; qui multa nobis ingenii sui reliquit monumenta; cujus laudes longe lateque adhuc personant. Ipse de patrui vita nonnulla collegit, quæ in VI volumine continentur (della Biblioteca piacevole) Tarvisii typis Julii Trenti MDCCCXXIX edito; unde pauca hæc a nobis hausta. In illo volumine nonnulla reperiuntur Hieronymi itala carmina, ex codice deprompta, qui Emmanuelem Ciconiam penes est, clarissimum virum, patriarumque rerum investigatorem solertissimum. Ex quo codice alia Hieronymi itala carmina edita fuere Venetiis Typis Picottianis anno MDCCCXXXVIII, ab familia Galvania in honorem Seraphini de Lu-

ca equitis, ac præclarissimi per Italiam sacri concionatoris. Alius vero Ciconianus Codex, qui Nigri ejusdem opera latina continet, nobis suffecit versus, quos hodie in vulgus edimus.

I.

Pastorum Angeli monitu ad præsepe accedentium melos.

ECLOGA

LYSIAS, ALPHEUS, ATIS.

Dum nox humentes terris diffuderat umbras,
Lanigerumque pecus stabulis, pecorisque jacebat
Ductor, qua arenti contexta mapalia canna
Dant curas operum paullisper pellere somno,
Et Lysias, Alpheus, Atis, tum cætera agrestis
Turba virum, Bethleem queis proxima rura colenda
Fors dederat, placida laxabant membra quiete:
Nuntius ætherea sopitos missus ab arce
Excitat, angustas perfundens lumine sedes.
Advenisse Deum narrat, nec molle cubantem,
Ast inventuros paleis et stramine fultum;
Designatque locum, stimulosque adjungit eundi.
Non ita præcipiti sitiens ad flumina cervus,
Ipsaque ad Oceanum rapiuntur flumina cursu,
Agricolæ ut properant læti, stratisque relictis,
Ad notum rapidis contendunt passibus antrum.
Hos inter Lysias barba, canoque capillo

Spectandus, firmo baculoque innixus euntem
Prosequitur longe turbam, cui junior Alpheus
Adstat, Atisque comes tardam passi ambo senectam,
Atque his dura viæ fallunt incommoda dictis:

Lys. O fortunati, queis hanc producere in horam
Lustra datum senibus, qua non felicior ulla
Prisco ævo talem, nec gens ventura videbit!

Alp. O fortunati, queis sero stamina vitæ
Cœpta trahi, et nostris primas hausere diebus
Auras, quum tandem completa oracula vatum!

At. Hos ego felices colles, hæc pascua duco,
Hæc rura, has valles, ipsa hæc armenta, recessu
Quando isto gaudet tantum considere numen.

Lys. Ah quoties glauci, memini, sub fronde salicti
Silvestri modulans resonantia carmina avena
Auribus arrectis pastor dum plurimus adstat,
Nymphaque odorata juvenilia tempora myrto
Cincta, meisque latens respondet vocibus Echo,
Hæc ruri cecini promitti gaudia nostro!

Alp. Ah quoties rigidæ pello dum frigora brumæ,
Cumque domo ipse etiam longævi dicta parentis
Accipio, fervens qua emittit flamma calorem,
Audivi hæc eadem nobis portendere Amyclam,
Et memorare simul veterum scripta ardua patrum
Ipsaque fatidicæ monumenta obscura sibyllæ.

At. Sæpe mihi divus se in somnis obtulit infans,
Præcellens nitido lucentia sidera vultu;

Cujus ad aspectum Bethleem nemus omne virebat
Altaque sudabant redolenti robora melle.
Sed neque tum dubiis audebam fidere visis,
Nec vobis risu capiendas promere formas.

Lys. Nunc vero gelida claudi mea lumina morte
Atque animum tenues patior volitare per auras
Nudaque odoriferis componi corpora bustis,
Quando hæc jampridem spes expectata refulsit.

Alp. Nunc vero viridis fructu gaudere juventæ
Incipiam, frontemque novis ornare corollis.
Annuit ipse Deus; namque ipse Deus mihi semper,
Nuper qui nostris advenit finibus hospes.

At. Hic molli posthac flavescet campus arista,
Nec deerunt gravidis turgentes vitibus uvæ.
Surgite io, agricolæ. Ferrum molitur aratrum,
Dona tamen præsens nobis Deus omnia præbet.

Lys. Si modo contigerim tremulis penetralia plantis
Sacraque mi liceat divini numinis ora
Cernere et obtusos radianti figere ocellos
Paullisper fronti, morituro monstra nec umbræ
Horribiles visu insidiæve artesve nocebunt,
Corporeoque hilari solvemur carcere mente.

Alp. Si modo me facie spectet Deus iste serena,
Permittatque atris expertes nubibus annos,
Quos ajunt veteres olim vixisse colonos,
Ipsi pura meis e septis victima ad aras
Cædeturque diu, post me cædentque nepotes

2 v l'

Edocti nostra miracula tanta cicuta.

AT. Non aper infliget lethali vulnera dente,
Non lupus in timidas crudelis sæviet agnas,
Non tepido pulli tingetur sanguine milvus,
Non eruca vorax caules, non amplius aspis
Nata venenato vitiabit germina morsu.
Surgite io, agricolæ, et læti spes discite vestras.

LYS. Forte ipse æternus, fluido nec tempore ducens
Principium, faciat seniorum pluris honores?
Quid lento comitum sector vestigia gressu?

ALP. Forte ipse, infantis latitans sub imagine, poscat
Florentem potius circum cunabula pubem.
Cur non pes properat volucri pernicior aura?

AT. En simul annosas ulmos cumque ilice fagos
Et pubescentes teneris cum floribus herbas
Gestire, insolito variantes arva colore.

LYS. Sunt mihi sex multa celebres ætate capellæ
Illarum de stirpe, ferunt quas Davidis ante
Compulsas humili vicina in pabula virga,
Quum nondum Solymæ templum stans arce niteret.
Has ego quas tantos mihi sors servavit in usus,
Has divo sacras ultro propriasque dicabo.

ALP. Sunt mihi sex nullo defensi velleris agni
Tegmine, balantis pendentes ubere matris,
Septena numerant vitæ qui tempora luce.
His sex adjiciam spumantia cymbia lacte,
Cunctaque felici succedens illicet antro

ilicet retum

208